

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 38025/06 CG

N

Nullitatis matrimonii

(X – Y)

Novae causae propositionis

DECRETUM

In causa de qua supra, Tribunal Ecclesiasticum Regionale X die 28 iulii 1999 sententiam tulit negativam sive ob exclusum bonum sacramenti ex parte viri actoris sive ob condicionem ab eodem consensui appositam, attamen constare edixit de nullitate matrimonii ob eius errorem in qualitate personae directe et principaliter intenta (can. 1097, §2), quam decisionem affirmativam Turnus Rotalis c. A die 27 iunii 2000 ratam habuit.

Petita autem a muliere conventa nova propositione causae et die 1^o decembris 2000 constituto novo Turno Rotali, eius Ponens, Rev.mus B, die 20 decembris 2000 decisionis executionem “pro nunc” suspendit, quam suspensionem ipse Turnus die 18 ianuarii 2001 confirmavit.

Cl.mus viri actoris Patronus tunc coram H.S.T. querelam nullitatis proposuit contra decretum diei 18 ianuarii 2001 una cum exceptione suspicionis contra Rev.mum Ponentem Rev.mumque Defensorem Vinculi. Quibus instantiis ab H.S.T. die 18 februarii 2003 reiectis, idem Cl.mus Patronus die 6 novembris 2003 iudiciales quasdam petitiones H.S.T. porrexit, sed haec Signatura Apostolica die 16 novembris 2004 negative ad omnia respondit.

Rev.mo B interim emerito facto, Apostolicum Rotae Romanae Tribunal tandem die 7 octobris 2005 per decretum c. C petitam novam causae propositionem denegavit.

Quam adversus decisionem Cl.mus partis conventae Patronus instantiis dierum 12 octobris et 5 decembris 2005 ad H.S.T. provocavit atque die 12 eiusdem mensis argumenta ad novam causae propositionem obtinendam exposuit.

Viro actore de re certiore facto et obtentis tam animadversionibus Rev.mi Defensoris Vinculi deputati quam voto pro rei veritate Rev.mi Promotoris Iustitiae,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Praemisso quod capita nullitatis matrimonii erroris in qualitate personae directe et principaliter intenta, de quo in can. 1097, §2, et doli, de quo in can. 1098, sedulo distinguenda sunt quodque relate ad unumquodque ex his capitibus iurisprudencia Apostolici Rotae Romae Tribunalis propriam elaboravit viam probationis;

Animadverso quod ad criteria probationis adhibenda relate ad caput nullitatis de quo in can. 1097, §2: parum refert utrum error in qualitate personae directe et principaliter intenta dolo causatus sit necne;

Perspecto quod non solum memorialia pro viro actore, verum etiam ipsae decisiones impugnatae argumentationem ad probandum dolum et argumentationem ad probandum errorem de quo in can. 1097, §2, improprie miscent quae confusio errori iuris assimilanda est;

Considerato quod id sat liquide patet ex earundem decisionum textu et tenore, nam in impugnatis decisionibus ob illam confusionem inter criteria probationis relate ad capita erroris in qualitate personae directe et principaliter intenta et doli, praevalentia qualitatis in determinatione et electione mulieris conventae tempore matrimonii ineundi magis interpretativa quam probata apparet, dum eadem decisiones non satis attendisse videntur ad reactionem viri actoris tempore quo de errore circa mulieris condicionem salutis certior factus est, sed potius ad eius reactionem tempore quo compertum habuit mulierem conventam ad domum coniugalem redire nolle, invocato tunc tantum dolo circa mulieris condicionem ad suum consensum obtinendum patrato;

Cum, omnibus sedulo perpensis reformatio decisionum pro nullitate ex capite erroris in persona directe et principaliter intenta in casu probabilis appareat;

Viso can. 1644 (cf. art. 292 Instructionis *Dignitas connubii*);

Vi art 122, n. 2 Const. Ap. *Pastor bonus*;

Re sedulo examini subiecta in Congressu, coram infrascripto Card. Praefecto die 27 septembris 2006 habito,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

decrevit:

**Novam causae propositionem in casu concedendam esse et facto
concedi.**

Et notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 27
septembris 2006.

Agustinus Card. VALLINI, *Praefectus*

Franciscus DANEELS, o.praem, *Promotor Iustitiae*
Vices Exc.mi Secretarii agens